

THESIS XXI.

Simonia peccatum est gravissimum ejusque malitia reponenda in irreverentia erga Deum et res divinas.

222. Nota. Simonia definitur a Theologis cum D. Thoma (1): Studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pretio temporali.

Dicitur *studiosa* i. e. deliberata, *emendi* contractu quolibet oneroso disponendi, *spirituale*, sacrum et aliquo modo supernaturale; *spirituali annexum* vel antecedenter ut jus patronatus, vel concomitanter ut labor necessarius in administratione sacramentorum, vel consequenter, ut redditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale: *praetio temporali* i. e. re qualibet pretio aestimabili, quae triplex affertur a canonistis, *munus a manu* ut pecunia aut res alia, sive mobilis sive immobilis; *munus a lingua*, ut laus, adulatio, patrocinium, commendatio, etc., *munus ab obsequio* ut quodvis aliud ministerium ex pacto sive expresso sive tacito praestitum propter beneficium. Additur ex pacto, quia in rigore juris non est simonia gratis praestare obsequium spe beneficium gratis obtinendi.

Simonia est juris divini, si jure divino aut naturali est prohibita... ut omnis venditio rei sacrae qua talis; juris humani quae «prohibita et in materia simoniae reposita est jure ecclesiastico, ut permutatio beneficiorum sine auctoritate superioris.»

Simonia mentalis est: «actio externa facta animo simoniaci exteriorius non manifestato» unde non dicitur mentalis, eo quod sistatur mente, sed quod, licet intentio simoniaca in actum externum prodeat, exteriorius tamen non appareat.

Conventionalis est «pactum expressum vel tacitum dandi, vel accipiendi aliquid temporale pro spirituali.» Realis est «pactum simoniacum utrimque impletum saltem inchoate» ut si collator ex pacto simoniaco canonicatum contulerit et collatarius saltem partem pretii persolverit. Conventionalis dividitur in pure conventionalem, cum ex neutra parte est impleta, et in mixtam seu semi-realem cum una tantum ex parte est impleta.

Simonia ficta v. g. qua quis promittit beneficium pro pecunia, animo quidem pecuniam accipiendi, sed beneficium non tradendi, licet participet malitiam simoniae, quam in altero causat; non est tamen magis simonia, quam aurum fictum sit aurum.

(1) 2, 2, Q. 100 a. 1.

Simonia confidentialis habetur cum quis alteri procurat beneficium eligendo, praesentando, conferendo, resignando cum certa confidentia, i. e. pacto expresso vel tacito obligante, ut is, cui procuratur, illud aliquando procuranti, aut in ejus favorem alteri resignet, vel pensionem aut fructus ex eo praestet; ut si Episcopus habens nepotem beneficium incapacem defectu aetatis, illud tibi conferat cum pacto ut resignes ejus nepoti, cum fuerit capax. Quatuor sunt modi hujus simoniae. Primus dicitur *accessus* ut si Episcopus volens tibi per aetatem incapaci providere de beneficio, illud conferat tuo famulo ea conditione, ut quamprimum capax fueris possis illud propria auctoritate accipere. Secundus dicitur *ingressus* ut si Episcopus tibi conferat beneficium, quod ante captam ejus possessionem resignes, reservato tibi jure ingrediendi in ejus possessionem si resignatarius praemoriatur vel fiat Episcopus. Tertius dicitur *regressus*, ut si beneficium a te possessum alteri resignes, reservato tibi jure ad illud regrediendi, si resignatarius praemoriatur, fiat Episcopus, aut pensionem constitutam non solvat. Quartus est si praesentans, resignans, aut consecrans, etc., paciscatur expresse vel tacite ut pensio vel pars fructuum beneficium, sibi vel alteri praestetur; in quo tamen ex parte dissentiunt Hugolinus Navarrus et alii probabiliter tenentes non esse simoniam confidentiae, nisi pensio aut fructus assignetur tertio a resignante, aut procurante distincto (1).

223. Thesis est certa et communis DD. cum D. Thoma (2). Prob. 1.º Ex Scriptura. a) Ubi Dominus dicit (3): *Gratis accepistis gratis date*. Atqui venditio repugnat huic gratuita voluntati Dei. Ergo.

b) S. Petrus in ipsa simoniae radice Simonis pravitatem condemnans dicit (4): *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniã possideri*. Ergo res spiritualis non potest aliquo terreno pretio comparari, sicut de Sapientia dicitur (5). *Pretiosior est cunctis opibus; et omnia, quae desiderantur, huic non valent comparari*. Confirm. Nam hoc pacto, res spiritualis indigne tractatur, quia tractatur ut subjecta humano arbitrio, et aestimationi, non ut res suo modo divina, et pendens ex liberali largitione Dei. Item tractatur ut res vilis et parvae aestimationis; nam ut recte dixit Hormisdas Papa, de hac eadem re scribens ad Episcopos Hispaniae: «Quis non vile putat esse quod venditur?»

c) S. Paulus ait (6): *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*. Ergo Praelatus Ecclesiae non

(1) Vid. Suar. de simonia, c. 43, n. 6, Platelli. De relig. nn. 871.—
(2) 2, 2, Q. 100, a. 1.—(3) Matth. X, 8.—(4) Act. V, III, 20.—(5) Proverb. III, 15.—(6) I, Cor. IV, 1.

est dominus spiritualium rerum, sed dispensator: ergo vendere non potest. Confirm. In donis gratiae ad summum potest considerari aliquod dominium quoad actus eorum, quatenus illos libere exercemus, et ea ratione dicimur esse illorum domini. Sed haec ratio non sufficit ut hujusmodi actus possint vendi. Ergo... *min.* prob. Possunt hi actus considerari vel ut pertinent ad sanctificationem operantis, vel ut possunt conferre bona spiritualia proximis, vel ut sunt actiones causantes spiritualia dona. Sed primo et secundo modo non possunt vendi ut patet, nec tertio cum ipsa actio sit donum Dei, quod vilesceret si pecunia aestimaretur. Ergo.

2.^o Ex PP. S. Hieronymus (1): «Quia semper dona spiritualia, si merces media sit, viliora fiunt, adjungitur avaritiae condemnationatio: *Gratis acceptis, gratis date.*» S. Gregorius VII (2) ait: «Altare, vel decimas, vel Spiritum sanctum emere vel vendere, simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat.» Idem evincitur ex probrosis nominibus, quibus jus simoniam execratur, cum eam appellat: *execrabile flagitium, turpissimum lucrum, omnia crimina ad comparationem illius, quasi pro nihilo reputari.* etc. Idem ex gravissimis poenis a jure simoniaco inflicis.

3.^o Ratione: Quia verba Christi continent praeceptum, naturalis praecepti confirmativum, sic in rigore postulat imperandi verbum, si aliunde non constat de alio leniori sensu, quod hic constare non potest, neque ex materia, cum illa capax sit gravis praecepti neque ex Patrum expositione; nam illi expositores ac Theologi communiter, intelligunt in illis verbis praeceptum contineri quo simonia prohibetur. Ergo (3).

II.^a Pars. Prob. Ex dictis in prima constat simoniam esse peccatum quia Deum et res sacras debita veneratione non colit et tractat. Sed talis est malitia irreverentiae, quae Religioni opponitur Ergo.

224. Obj. 1.^o Nihil est tam spirituale quam regnum caelorum; sed licet illud emere, nam Gregorius (4) dicit: «Regnum caelorum tantum valet, quantum habes» ergo.

Resp. Dist. *min.* licet emere proprie; neg. Improperie; conc. «Dicitur, ait Angelicus (5) emi regnum caelorum, dum quis dat quod habet propter Deum, large sumpto nomine emptionis, secundum quod accipitur pro merito:» ulterius meritum non est aliquid temporale, sed spirituale et supernaturale.

Obj. 2.^o Licite possunt pecunia compensari aliqua quae per pecuniam non sunt aequae aestimabilia, v. g. fama, vel corporis membrum ergo...

(1) In Matth. c. X.—(2) Cap. Praesbyter. 1, q. 1, ex registro.—(3) Suar De Simonia c. 2, nn. 7, 10, 13.—(4) Homil. 5, in Evang.—(5) 2, 2, Q. 100, ad 3.

Resp. Neg. *conseq.*; nam omnia illa humana sunt et inferioris ordinis respectu bonorum supernaturalium, quare cum solum sint bona mere temporalia, et humana, possunt sine illa irreverentia in commutationem afferri.

Obj. 3.^o Simonia a Patribus et in jure vocatur haeresis: ergo ejus malitia in infidelitate non in irreverentia, consistit.

Resp. Dist. *antec.*: Vocatur haeresis vere et proprie; neg.; Secundum exteriorem protestationem; conc. Nam cum aliquis vendit donum Spiritus Sancti, quodammodo protestatur se esse dominum spiritualis doni quod foret haereticum si ita haberet in corde (1).

THESIS XLII.

Emere vel vendere beneficia, etiam quoad jus percipiendi temporalia est probabilius simonia juris divini.

225. Nota. Prohibitum esse et quidem convenienter beneficia vendere et emere constat ex D. Thoma (2) quia, eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici; sed ad majorem rei dilucidationem, distinguendum est, inter jus spirituale seu ad spiritualia opera exercenda et jus ad temporalia percipienda. Quoad primum omnes conveniunt, simoniam esse juris divini illud vendere, nam titulus beneficii ecclesiastici jus quoddam spirituale est; ergo neque ipsum neque beneficium ratione ipsius vendi potest. Neque oportet in hoc distinguere inter beneficium simplex, et beneficium habens jurisdictionem, ut quidam tentarunt, quia etiamsi beneficium curatum non sit, nec jurisdictionem habeat, semper fundatur in spirituali titulo, per quem ordinatur, vel ad aliquam executionem ordinis, ut ad missas celebrandas, vel ad divina officia ministranda, etc., qui titulus spiritualis est; nec dari potest proprium ecclesiasticum beneficium sine aliquo hujusmodi jure in quo fundetur. Quoad secundum negant contra plurimos Navarro et plures canonistae probabiliter.

226. Prob. 1.^o Ex capite *Si quis objecerit* (3) «Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus ergo emat Ecclesiam, vel praebendam vel aliquid ecclesiasticum.» ubi Paschalis Papa infert non posse vendi Ecclesiam, vel praebendam, non propter Ecclesiae prohibitionem sed propter inseparabilitatem. Et in cap. *Salvator* ibid. Urbanus Papa, ex verbis Christi *gratis accepistis* colligit res ecclesiasticas vendi non posse; per res autem ecclesiasticas plane

(1) S. Thom. 2, 2, Q. 100, ad 1.—(2) 2, 2, Q. 100, a. IV.—(3) 1, q. 3.

intelligit beneficiorum proventus, ut tales sunt; nam pro ratione subdit: «Quae dona Dei sunt, quoniam a Deo fidelibus, et a fidelibus Deo donantur, quae ab eodem gratis accipiuntur et ideo gratis »dari debent» et statim idem confirmat ex regula Paschalis proxime relata. Similia habet Alexander II in cap. *Ex multis*; et Gregorius in aliis capitibus. Ergo...

Prob. 2.^o Quando venditur beneficium, pretio emitur facultas obtinendi redditus, et jus ad illos mediante spiritali ministerio. Ergo emitur et venditur ipsum spiritalium ministerium, saltem ut medium necessarium ad temporalia acquirenda. *Conseq.* prob. Ante exhibitum spiritalium ministerium non est acquisitum jus ad temporales redditus, nisi virtute in ministerio spiritali, quatenus is, qui possidet beneficium, habet jus ministrandi, et per spiritalium ministerium consequendi proprium et formale jus ad temporales redditus. Ergo vendere illud jus ad redditus quasi radicale, est vendere ipsum ministerium spiritalium.

227. Obj. Jus ad emolumentum temporale beneficii est diversum et distinctae rationis a jure spiritali, quamvis ei conjunctum sit, et unum ab alio pendeat. Sed nihil vetat quominus unum sine alio vendatur. Ergo... Prob. *minor.* Quia intentio dantis et accipientis potest facile illa discernere, dummodo temporale secundum se aestimetur, et non augeatur ejus pretium, ratione tituli spiritalis cui adjungitur. Ergo... Confir. Exemplo juris patronatus: nam secundum se vendi non potest, et tamen cum fundo vendito transire potest, et tunc etiam non censetur ipsum jus vendi. Ergo...

Resp. Neg. *min.* Ejus probat. dist. Si Papa separet omnino temporale ab spiritali, ut dispensator bonorum Ecclesiae; conc. Si non separat; neg. Ratio est, quia Papa est supremus dispensator bonorum Ecclesiae, et ideo sicut re ipsa potest, separare redditus ab spiritali titulo, ita mente et intentione et voluntate potest separare temporale ab spiritali et ita compensare temporale cum temporali, et spiritalia vel gratis, vel pro spiritalibus conferre. Notanter dicimus *re ipsa non in re ipsa*, ut aliqui loquuntur ad hoc ut inferant in beneficiis posse Papam exigere summam pecuniae ad hoc ut redditus annexos relinquat titulo beneficii, et illos non separet vel ut separatos uniat. Quod ego, ait Suarius (c. 24, n. 33) non tam facile admitterem, tum quia cum illa competant Pontifici per supremam potestatem spiritali, illud plane esset vendere usum suae potestatis, quod est contra divinum jus; tum etiam quia emere a Papa, ut fructus maneant conjuncti beneficio, est emere, ut semper liceat acquirere jus ad illos fructus mediante spiritali ministerio, hoc autem est vendere ministerium ipsum ut probatum est.

Huc pertinet Propos. 22, ex damnatis ab Alexandro VIII

(24 Sept. 1665): «Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica »non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione »beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre »non tenebatur.»

Ad confir. Dist. *antec.* Juripatronatus fundus est annexus antecedenter; conc. Consequenter; neg. Jam vero quod consequens est sine antecedente et non nisi ratione antecedentis vendi non potest ut constat ex probationibus. Sed nota, in jure patronatus duo distinguenda sunt jura, unum ad honorem, defensionem Ecclesiae fundatae et ad utilitatem temporalem, si patronus fiat pauper et hoc est temporale; alterum ad praesentandum ad beneficia et hoc certe jure ecclesiastico, est spiritalium, imo *secundum se* juxta communem Theologorum contra Canonistas, qui in varias partiuntur sententias. Unde post institutionem Ecclesiae dicit Suarius esse simoniam juris divini illud vendere *secundum se* (1).

SCHOLION I.

De titulo gratitudinis.

228. I. Communiter sentiunt Theologiae et Juris DD.: Titulum gratitudinis ex natura rei excusare a simonia in foro interno, donationes factas ex mera gratitudine, aut benevolentia tamquam liberale donum, nullo modo tamquam pretium ex justitia debitum.

Prob. 1.^o Ex natura simoniae essentialiter requirentis in dono rationem pretii.

2.^o Quia simonia realis non stat sine mentali, neque haec sine intentione obligationis ex justitia.

3.^o A pari ex usura non stante absque voluntate obligandi ex justitia ad aliquid supra sortem. Confir. ex Jure canonico in variis capitibus, praesertim *Tua nos*, de Simonia ubi Innocentius III de eo, qui bona propria offerens admittitur in canonicum dicit: «Si »pure ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter admitti, ejus receptio fieri poterit absque scrupulo simoniae »pravitatis.» Hoc verum putant Suarius (2), Bonacina et alii, etiam quando temporale datur ante acceptionem rei spiritalis.

Praesumptionem in contrarium temerariam censet Quintaduenas: a) Quia unusquisque praesumendus est agere ex intentione licita quando ei nihil prodest sed potius obest agere ex illicita. b) Ex variis juribus ejusmodi praesumptionem improban-

(1) Suar. De Simon. c. 28, nn. 8-11; Confer. etiam Platelli de Simonia.
(2) De Simonia, c. 36.

tibus. Ex quibus Suarius infert malitiam simoniae in foro interno multum pendere ab intentione operantis, et confirmat ex c. *Tua nos*, De Simonia, et ex ejus definitione.

229. II. Probabilius contra aliquos (1) conventiones antidorales solo titulo gratitudinis, sed in pactum deductas esse simoniacas; adeoque in praxi regiciendas.

Ita Suarius c. 45, Layman, Sylvius Mendo et alii.

Prob. 1.^o Ex variis capitibus Juris, quae similiter ac citatum in scholio primo prohibent omnem pactionem in materia simoniae.

2.^o Ex Tridentino eas in materia simoniae damnante ac prohibente ut simoniacas. (Sess. 21, cap. 1; sess. 24, c. 14).

3.^o Quia sunt scandalosae, de simonia suspectae et ex praesumptione fori externi simoniacae.

4.^o Quia tales conventiones sunt contractus onerosi superaddentes aliquam obligationem; cum operentur aliquid ad assecurandum donatorem de remuneratione (alias enim non fierent;) sed non aliud ad vere assecurandum operantur quam novam obligationem: Ergo...

5.^o Quia posita conventionem donatarius facit donanti injuriam ejusque fidem fallit, si non praestet id de quo conventum est: ergo imponitur ei novum onus praetio aestimabile.

6.^o Denique ex Propositionibus ab Innocentio XI damnatis: 45.^a «Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando »temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam »motivum conferendi vel conficiendi spirituale, vel etiam quando »temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut e »contra.» 46.^a «Id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; imo etiamsi sit finis rei spiritualis; sic ut illud plurius aestimetur, quam res spiritualis.» In quibus indubie conformius Juri canonico, loc. cit. damnata videtur opinio assertioni nostrae contraria et merito, cum viam simoniae aperiat patentissimam.

SCHOLION II.

An detur parvitas materiae in peccato simoniae.

230. I. In simonia juris divini nulla datur parvitas materiae sive ratione materiae, sive exiguitatis pretii.

Nam quamvis donum divinum putetur parvum cum nullum tale sit, sive pretium datum non magnum videatur, adhuc perseverat irreverentia simoniae nempe aestimatio rei spiritualis pro temporali, quae est quaedam practica blasphemia, quam constat nunquam levem esse ratione materiae.

(1) Cajet., Sot., Covarrub., Sanchez, qui putant probabile contrarium.

II. Etiam probabilius non datur materiae parvitas in simonia juris humani (1).

Quia ejusdem speciei est cum simonia contra legem naturalem, nam diversitas praeceptorum quoad efficientes causas eorum non variat speciem peccati quando in materia ejusdem rationis versantur, et eandem virtutis honestatem respiciunt: quia species tam praecepti quam virtutis, ex objecto et motivo sumitur, et consequenter species vitii sumenda est per recessum ab his, seu per carentiam honestatis debitae quae eadem est, etiamsi ex diversis praeceptis debeatur. Est ergo haec simonia ejusdem speciei cum simonia naturali jure prohibita, ac subinde ejusdem est gravitatis substantialis (2).

Alia de simonia, cum jam potius ad praxim spectent, vide apud casuistas et canonistas.

(1) Ita Suarez contra alios, quibus consentit S. Ligorius L. 3, n. 50.
—(2) Suar. De simon. c. 7, n. 13.